

536840

РК-ХГУ-1

2. T.

471

DISERTATIO INAUGURALIS,

~~2 T~~
471.

DE

~~221~~ 30

GENUINO PHILOSOPHIAE
CHARACTERE, .

~~2~~

EJUSQUE NECESSITATE,

~~47~~

QUAM, PUBLICE DEFENDENDAM,

AD GRADUM DOCTORIS PHILOSOPHIAE

In Caesarea literarum, quae Charcoviae floret,

Universitate consequendum

702

conscripsit



GUSTAVUS ADOLPHUS HESS DE CALVE



CHARCOVIAE,
TYPIS UNIVERSITATIS.

1812.

02

58

536840

211
441 П
VIRO EXCELLENTISSIMO

2.5.44.
SUAE

CAESAREAE MAJESTATIS
CONSILIARIO STATUS ACTUALI,
ORDINIS ST. WLADIMIRI QUARTAE
CLASSIS EQUITI, &c. &c.

EUGRAPHO ELIADI
MECZNIKOFF

174
174
Conventui pro censendis libris destinato numerus exemplarium
lege definitus exhibitus est.

702 11.
Hanc dissertationem
devotissime dedicat
Auctor.

*Academico Caesareae litterarum, quae Char-
kovieae viget, Universitatis inter omnes primus
gradu Doctoris Philosophiae obtinendo dig-
nus fuerim judicatus. Sed, quem hac ratione
consecutus sum honorem, novo ornari existi-
mabo honore, si, qua soles, benevolentia hunc
laborem, futurosque meos conatus literarios
complecti dignaberis. Hanc gratiam si mihi
praestiteris, omnis ante actae vitae meae
fructum uberrimum ac jucundissimum me per-
cepisse mihi gratulabor.*

Tuae Excellentiae

Observantissimus

Gustavus Adolphus Hess de Calve

DE GENUINO PHILOSOPHIAE CHA- RACTERE EJUSQUE NECESSITATE.

1. §.

Philosophia nil aliud esse potest, nisi scientia, qua
Universum apparens tanquam synthesis objectivitatis
et subjectivitatis generatim ad absolutam harmoniam
reducatur, et in eadem conspiciatur; cum e contrario
intellectui reflectenti in absoluta disharmonia esse vi-
deatur.

Quatenus autem nullus mortalium absolutam ferre
potest repugnantiam, etiam quisque ex natura jam ad
Philosophiam tendit; ratio absolute postulat, ut Uni-
versum aliter in se sit, ac uti se reflexioni conspi-
cium reddit; nam formam absolutae dissonantiae,
quam ratio necessario perhorrescit, prae se fert.

2. §.

Cum homo in mundo phaenomenorum, qui ab-
solutam in se continet repugnantiam, nullo modo sub-
sistere possit, instinctu quodam rationis impellitur, ut
aliquid ponat, quod sit proprie absolutum, quo omnia
phaenomena tanquam fundamento nitantur, et ad har-
moniam reducantur. Objectivitas et subjectivitas, sive
mundus materialis et spiritualis in sphaera reflexionis,

bilitati. Absolute enim impossibile est, ut ex aliqua re quidquam se evolvat, quod illi absolute sit contrarium; quidquid enim se evolvit, jam implicate saltem in altero contentum esse debet.

§ 4.

Homo hanc repugnantiam saltem sentit, licet eam necdum distincte cogitet. Cum illam nullo modo ferre possit, eam quocumque modo solvere nititur. Prima autem tentamina, quae hunc in finem fiunt, sunt eodem modo repugnantia, quam exhibita phaenomena, quae ad harmoniam revocanda sunt. Sola Philosophia, quae sensu maxime proprio hoc nomen meretur, apparens disharmonia in harmoniam perfectam mutari potest.

Quamprimum homo incipit philosophari, sibi repugnantiae, quae in mundo materiali et spiritali sita est, conscius esse debet, cum Philosophia nullum alium habeat finem sibi propositum, nisi disharmoniam inter mundum materiale et spirituale, quam reflexio exhibet, componere.

§ 5.

Pro homine, qui in inferiori gradu culturae intellectualis versatur, *religio revelata* locum rationis philosophicae supplet. Imo omnis religio positiva jam est tentamen philosophandi; nam homo conspectum ejus, quod prorsus sit finitum, quodque alteri finito sit oppositum, ferre non potest. Iam vero mundus materialis et spiritalis, quatenus in absoluta oppositione conspiciuntur, finiti habent characterem; quidquid enim

ita comparatum est, ut illi alterum quid sit absolute oppositum, finitum est, propterea quod non omnia complectatur, sed limitetur per sphaeram sibi oppositam. Etiam si nobis repraesentemus utrumque mundum in progressionem infinitam, neuter tamen ex sphaera limitationis egredi potest. Mundus materialis, quia talis, nunquam in mundum subjectivum aut spirituale, nec hic in illum transire potest, ita, ut ex absoluta duplicitate prodeat absoluta unitas. In aeterno conflictu positi, ambo diversas existentiae sphaeras occupant, ita, ut existentia mundi materialis nunquam possit mutari in existentiam mundi spiritalis, et vice versa. Ergo, inter utrumque mundum, non obstante infinita progressionem, limitatio reciproca locum habet: sed homo nullo modo aliquid limitatum cogitare potest sine absoluto. Cum ergo character mundi materialis et spiritalis in infinitum usque in limitationem positus sit, sequitur, quod absolutum neque objectivum quid, nec subjectivum, nec utrumque simul, synthetice conjunctum, esse possit.

Ens absolutum ergo est principium omnis ejus, quod cum forma subjectivitatis vel objectivitatis se conspicuum reddit; ideoque est absoluta unitas, quia absoluta duplicitas in mundo materiali et spiritali per reflexionem se prodens, ad harmoniam revocatur; quaelibet ergo religio positiva est quaedam species Philosophiae, quatenus homo in rebus visibilibus, quae mundum materiale et spirituale constituunt, non potest subsistere, sed aliquid absolute invisibile admittit, quo omnia visibilia concipi possint. Licet autem

omnes religiones positivae, cum sibi invicem repugnent, non possint esse verae, tamen omnes in una, absolutaque veritate conveniunt: *quod idea entis absoluti habeat realitatem*. Omnes ergo religiones positivae supponunt jam entis absoluti realitatem. Neque enim ulla revelatio, ab ente absoluto facta, cogitari potest, nisi illud revera esse statuatur.

Solius autem est Philosophiae, id, quod religio positiva supponit, scilicet realitatem entis absoluti, argumentis indubiis demonstrare: hinc patet, quantum beneficii Philosophia ex purissimo rationis fonte hausta, religioni positivae praestet. Tantum ergo abest ut Philosophia sana, religioni positivae sit contraria, ut potius illam stabiliat.

§ 6.

Omnia, quae cogitari possunt, *philosophandi tentamina*, in regione reflexionis posita sunt. Tria autem tantummodo cogitari possunt, tentamina philosophandi:

Objectum Philosophiae est ipsum Universum. Totum autem Universum, constat objectivitate et subjectivitate. Philosophiae est, ostendere; quomodo mundus objectivus et subjectivus possit esse unus, jam vero asseritur, *synthesin mundi objectivi et subjectivi aut non posse explicari, aut, explicari posse*. In regione reflexionis tertium est impossibile. Si asseritur, hanc *synthesin explicari non posse*, tunc hoc philosophandi tentamen est *Empirismus logicus*; si autem contrarium asseritur, *Empirismus in forma metaphysica* locum habet, qui in *Realismum* et *Idealismum*,

quatenus uterque in absoluta oppositione cogitatur, se dividit.

Empirismus metaphysicus superiorem gradum occupat, quam logicus, licet eodem modo sibi repugnet, uti hic. Hinc Empirismus metaphysicus, Empirismus *secundae potentiae* appellari potest. Empirismus primae potentiae asserit, in *synthesi data objectivitatis et subjectivitatis* subsistendum esse, ideoque ipsam esse id, quod absolutum esse dicimus: juxta hoc systema ergo Deus ipse est mundus aspectabilis. Cum autem *synthesen* particulares et singulares, id est, experientiae determinatae in *synthesi illa universali fundatae* sint, sequitur, has ex illa esse explicandas.

§ 7.

Realismus autem, et Idealismus ab Empirismo inferioris ordinis in eo se distinguunt, quod per utrumque systema asseratur, *synthesin objectivitatis et subjectivitatis generatim sumptam explicari debere*.

Omnia haec systemata in eo conveniunt, quod, quam certum sit, *synthesin objectivitatis et subjectivitatis* existere, tam certa quoque esse debeat ejus possibilitas. Empirismus logicus asserit, quod *synthesis* haec, licet ejus membra in absoluta oppositione se representent, absolute tamen sit possibilis, quod itaque nullum aliud necessarium sit principium, quo stabilietur. Cum enim nil esse possit, nisi quod vel formam objectivitatis vel subjectivitatis habeat, etiam sequi, quodcumque statuatur principium, vel ad sphaeram objectivitatis, vel subjectivitatis pertinere debere: ideo-

que aptum esse non posse ad *synthesin* utriusque stabilendam. Sed empirismus secundae potentiae asserit, datam *synthesin* per aliquid, quod superius sit, explicari, et fundari oportere, propterea quod, quidquid in rerum natura existat, tantummodo tamquam aliquid hypothetice reale et possibile cogitari possit.

Hinc requiritur aliquid absolute reale et possibile, quod extra *sphaeram* entium hypotheticorum situm esse debeat. In hoc systemate ergo illud, quod *absolute* reale, et possibile est, consideratur, tamquam aliquid *prius*, aut tanquam *caussa*, illud autem, quod *hypothetice* reale aut possibile est, respicitur tamquam aliquid *posterius* aut tanquam *effectus*.

Hinc sequitur, quod in Realismo materia tanquam *caussa* mentis, in Idealismo autem mens tanquam *caussa* materiae omniumque substantiarum materialium determinetur. Sed utrumque falsum est. Si enim mundus generatim sumptus explicandus sit, ita explicari debet, ut phaenomena fundamentalia salva maneant. Sed in utroque systemate unum ex phaenomenis fundamentalibus tollitur. In Realismo enim asseritur, materiam esse *unicam substantiam* Universi, ita quidem, ut mens nil aliud sit, nisi modificatio materiae. Hac autem ratione realitas totius mundi spiritualis contra ipsam experientiam negatur; licet totum systema materialismi nitatur reflexione, quae soli inhaeret experientiae, existentiam substantiarum spiritualium aequae attestanti, quam substantiarum materialium.

E contrario vero in systemate Idealismi asseritur, solam substantiam universi esse spiritum, ideoque

materiam non in se ipsa existere, sed esse effectum cogitationis. Philosophia vera ita comparata esse debet, ut evidenter ostendat, quomodo Universum, quod juxta reflexionem absolute esse videtur oppositum, in se sit unum, et tamen phaenomena fundamentalia in sua integritate maneant.

Complexus horum principiorum, quae omnia ad errorem inducunt, recte vocari potest Philosophia reflexionis: singula enim sita sunt in regione intellectus reflectentis, qui ad id, quod per experientiam datum aut exhibitum est, vel penitus, vel ex parte adstrictus est.

In Realismo aut Idealismo jam aliqua activitas mentis majori cum libertate locum habet, cum *synthesis* universalis hic non admittatur, uti exhibita est, sed eatenus mutatur, quatenus ponitur aliquod principium, quo unum ex hisce phaenomenis principalibus explicetur, ut absoluta duplicitas tollatur.

Principium enim Realismi est materia, unde spiritus prodeat. Principium vero Idealismi est spiritus tanquam *caussa* materiae, ergo in utroque systemate quaedam unitas ponitur, qua oppositio tollatur. Sed principium, quod ponitur, semper est aliquid, quod per experientiam exhibitum est, scilicet aut objectivitas, aut subjectivitas. Cum vero, quod explicandum est, sit ipsa objectivitas et subjectivitas generatim sumpta, sequitur, principium aliquod superius omni objectivitate et subjectivitate statuendum esse, ut explicatio sit vere philosophica. Phaenomenon enim explicandum, nunquam potest esse principium ejusdem phaenomeni.

In Realismo pura objectivitas tanquam principium Universi statuitur, in Idealismo autem pura subjectivitas.

Empirismus logicus nullam quaerit unitatem, nisi formalem, quae in conceptu generico mundi generatim sumpti consistit. Mundus enim generatim sumptus est ipsa absoluta duplicitas, cum sit complexus entium materialium et spiritualium. Absoluta autem duplicitas est contradictio, ergo Empirismus logicus Philosophiam inchoat cum contradictione. Empirismus autem metaphysicus, qui vel in Realismo, vel Idealismo consistit, unitatem quidem quaerit artificiose, quin illam realiter producere possit, et absolutam quaerit unitatem, licet eam re ipsa consequi non possit. Hoc utrumque tentamen philosophandi ad veram Philosophiam propius accedit, quam empirismus logicus. Sed quatenus in suo conatu ad unitatem absolutam duplicitatem effugere non potest, tam parum nomen Philosophiae meretur, quam empirismus logicus.

§. 9.

Ex huc usque dictis patet, in regione reflexionis cum in ea nil, nisi repugnantia dominetur, quodlibet systema per novam et superiorem reflexionem in nihilum recidere. Reflexio de reflexione quodlibet, quod in hac regione construitur, systema evertit.

Cum Philosophia reflexionis critica praecipue necessitas philosophandi in sensu proprio incipit, quae, licet necdum sit propria Philosophia, tamen proxima et absolute necessaria est conditio omnis Philosophiae. Sola cognitio repugnantiae, quae in omnibus principiis

reflexionis sita est, hominem ad sublimiores ideas compellere potest. Homo ab initio necessario ad dogmaticam Philosophiam reflexionis transit, et primo quidem ad communem empirismum, et deinde, quamprimum repugnantiae, quae hic locum habet, per novam sibi reflexionem conscius fit, ad empirismum superiorem, qui in *Realismum* et *Idealismum* dividitur, progreditur. Postquam et hasce provincias erroris emensus, omnia, hic in repugnantia posita esse conspicit, tum demum inchoat, universam facultatem cognoscendi reflexione nixam, quam in postremas partes et quasi elementa resolvit, adcuratori examini subicere, unde et hac ratione Philosophia reflexionis *critica* oritur. *Philosophia Kantiana* nihil aliud est, nisi *Philosophia reflexionis critica*, ac optime de una ac unice possibili Philosophia promeruit, quatenus detectis omnibus erroribus, qui in principiis reflexionis grassantur, viam ad veram Philosophiam pandebat. Neque enim alia ad veritatem via in Philosophia cogitari potest, quam evidens cognitio repugnantiae, quae totam facultatem reflexionis, eique respondens Universum occupat. Qui semel ad hunc gradum cognitionis pervenit, etiam perspicit, nullum aliud superesse medium, quo intellectus repugnans, et Universum juxta ejus formam representatum ad harmoniam reduci possint, quam originariam utriusque constructionem ad totum aliquod absolutum. Hoc ea tantum potest fieri conditione, ut ratio se non in umbra inversa, tanquam meram facultatem *reflectendi*, sed in caractere suo originario tanquam absolutam facultatem *producendi*, quae a nulla expe-

rientia dependeat, intueatur, et ita, uti in se est, distincta cognitione apprehendat, ita, ut id, quod exhibitum aut datum est, ipsa ratio absoluta libertate ad intuitionem et reflexionem exhibeat. Sic dictae *Antinomiae* rationis, quas Kantius proponit, et quae ex analysi facultatis cognoscendi, quatenus reflexione nititur, prodeunt, consecutaria maxime aestimanda totius criticae sunt. Repugnantiae rationis theoreticae tanquam facultatis reflectentis hic cum evidentia, quae ipso experimento nititur, exhibitae sunt. Nam criticismus in regione reflexionis subsistens, uti criticismus Kantianus est, non penetrat usque ad cognitionem causae, unde illae repugnantiae proficiscuntur, sed solummodo per analysin facultatis cognoscendi, tanquam phaenomenon invenit, quod intellectus reflectens, et Universum reflexum sibi contradicant, quin unquam in hoc gradu cognitionis sciri possit, *qua ratione* talis repugnantia conciliari possit. Haec cognitio est tantummodo negativa, id est, cognoscitur, quod Universum tanquam synthesis subjectivitatis et objectivitatis generatim nullo modo in se ita esse possit, uti intellectui reflectenti se conspicuum reddit, propterea, quod in repugnantia absoluta positum esse invenitur. Jam ergo est quaestio, *quomodo* Universum cogitari debeat, ut penitus harmonicum appareat, et re ipsa harmonicum sit. Sola responsio ad hanc quaestionem et solida ejus solutio, ita, ut ratio penitus aquiescere debeat, est propria Philosophia. — Cognitio autem empirica repugnantiarum, quae in omnibus principiis intellectus reflectendi locum habent, est solummodo *conditio*, sine qua ad

cognitionem Philosophiae nullo modo perveniri potest.

§. 10.

Absoluta necessitas philosophandi tum demum locum habet, quando distincte cognoscitur, in sphaera reflexionis nil aliud esse, nisi repugnantiam. Ea necessitas in quibusdam excellentibus ingeniis sponte se prodit, et hoc in casu nequaquam ab arbitrio hominis dependet, utrum Philosophus fieri velit, nec ne. Nam homo nullam repugnantiam, quam distincte cognoscit, ferre potest. Quam primum ergo perspicit, Universum, quatenus intellectui reflectenti se conspicuum reddit, in absoluta esse repugnantia, tum necessitate quadam impellitur, ad viam unice possibilem invenendam, qua positiva cognitio ejus, quod absolute verum est, comparatur. Universum, uti reflexioni exhibetur, est ipsa objectiva repugnantia. Tale Universum nec *esse* potest, nec *cogitari*. Nam quod *idealiter* sibi repugnat, sibi quoque repugnat *realiter*, et vice versa.

Desiderium ergo philosophandi, et necessitas, in homine alia ratione excitari non potest, nisi ut attentus reddatur ad repugnantiam, quae in omnibus principiis reflexionis sita est. Quamdiu haec repugnantia necdum distincte cognoscitur, nullum quoque potest adesse desiderium Philosophiae, imo ne capacitas quidem.

Methodus generalis, ex parte eorum, qui Philosophiam tradunt, ejus studium cum definitione inchoandi, et hac totum systema stabiliendi, fini proposito,

prorsus est contraria. Juxta hanc methodum studium Philosophiae solummodo fit exercitatio memoriae, quin ex suppellectili omni vita et spiritu carente, quae memoriae impletur, quidquam in vivam cognitionem transire possit.

Hinc copiosa grex Philosophorum sine Philosophia. Jure asseritur, cuilibet, qui se litteris consecrat, Philosophiae studium absolute esse necessarium. Sine Philosophia in qualibet regione, quae pro peculiari disciplina destinata est, in tepebris oberratur, ita quidem ut cognitionem, quam quaerimus, solidam nunquam assequi possimus. Quid enim peculiaris quaedam disciplina aliud est, nisi constructio alicujus syntheseos determinatae, quae semper in quadam specie objectivitatis et subjectivitatis versatur?

Quam diu ignoratur, quomodo synthesis objectivitatis et subjectivitatis generatim constituenda sit, ut cogitari possit, tam diu quoque nulla ratione cognoscipotest, quomodo peculiaris quaedam species objectivitatis et subjectivitatis ad harmoniam reducenda sit.

Quidquid existit, tanquam peculiaris species objectivitatis et subjectivitatis, cujus synthesis realis per experientiam exhibetur, considerari debet. Quidquid autem per experientiam nobis innotescit, scientificè tractari, et ad objectum peculiaris disciplinae evehi potest.

Problema cujuslibet singularis scientiae est, determinare, quomodo certa quaedam synthesis objectivitatis et subjectivitatis cogitari possit. Evidens est quod homo, quamdiu ad repugnantiam, quae in form

objectivitatis et subjectivitatis generatim tanquam absolutae duplicitatis sita est, necdum attentus redditur, nullo modo ad Philosophiam sit aptus, quodque supposita possibilitate talis syntheseos ejus tota philosophandi ratio nil aliud esse possit, nisi analysis ejus, quod in se absolute sit impossibile. Dantur diversae methodi hujus analyseos, quae complete determinari possunt. Sed quaelibet rationi repugnat. Hae methodi sunt, quae passim conduntur, Philosophiae systemata. Quamdiu duplicitas absoluta mundi materialis et spiritualis supponitur, error ex Philosophia non potest eliminari. Hic error primarius deinde in omnes reliquas disciplinas transit, quarum objecta nil aliud sunt, quam peculiariter determinatae syntheses objectivitatis et subjectivitatis, ita quidem, ut ostendatur, quomodo possibiles sint.

Uti problema Philosophiae est, per aliquam ideam, quae tanquam absolute realis cognoscitur, novum construere mundum, ideoque idealiter creare, sic quisque, qui peculiarem quandam scientiam, qua talem, producere vult, communem realitatem, quae obiectum ejusdem scientiae particularis sit, in nihilum redigere, et etiam in sphaera quadam particulari novum condere mundum debet. In qualibet re, uti reflexioni apparet, eadem sita est repugnantia, quoad communem representationem objectivitatis et subjectivitatis. Eadem repugnantia in quolibet cognitionis genere tantummodo peculiarem habet modificationem, hinc etiam modo peculiari solvenda est. Sed solvi aliter non potest, nisi per ideam absolute mentis vi productam, ideoque quasi

creatam, qua sphaera peculiaris existentiae in forma dissona apparens ad harmoniam reducatur et tanquam vera realitas exhibeatur. Id, quod particulare est, juxta substantiam cum universali unum idemque est. Si ergo repugnantia, quae in representatione objectivitatibus et subjectivitatibus generatim juxta formam reflexionis sita est, ad harmoniam non reducitur, etiam in nulla sphaera peculiari existentiae, quae tanquam objectum peculiaris scientiae determinatur, solvi potest. Conditio autem absoluta ad solvendam illam repugnantiam primariam, quae in singulis sphaeris peculiaris existentiae sub diversis tantum formis et modificationibus iterum in lucem praeedit, est distincta cognitio ejusdem repugnantiae. Hanc cognitionem praestat Philosophia reflexionis critica. Quicumque ergo ad Philosophiae proprie sic dictae studium, et ad spiritum scientificum, qui in omnibus disciplinis dominari debet, recipiendum aptus fieri desiderat, ejus attentio et reflexio praeprimis ad illam repugnantiam primariam, et absolute universalem dirigenda est, ita, ut illam cum evidentia ipso facto conprobatam cognoscat.

§ 11.

Maximi est momenti, characterem essentialem eorum, mundum considerandi, modorum primariorum, qui in regione reflexionis unice possibiles sunt, perspectum habere. Nam per illos error omnes vias, quasque inire potest, tentavit, et emensus est. Cognitio completa tentaminum erroneorum est via negativa ad veritatem, id est, cognoscitur, quod omnes viae, quae

juxta formas reflectendi iniri possint, ad veritatem non perducant, quia earum initium, medium et finis aperta repugnantia notata sunt; quod idcirco ad veritatem inveniendam alia prorsus via illis absolute contraria exquirenda sit, ita quidem, ut per cognitionem, quam nova via praestat, omnes illi universum considerandi modi, qui in reflexione locum habent, non solum tanquam repugnantes, inveniantur, et tanquam absolutum nihilum cognoscantur, sed ut etiam ratio earum repugnantiarum perspecta fiat, hacque conditione disharmoniae ad harmoniam reducantur.

Si illi modi, universum repraesentandi, qui intellectui proprii sunt, sibi contradicunt, sequitur, etiam Universum, quod illis determinatur, sibi repugnare. Tale vero Universum, quod juxta omnes possibiles formas intellectus tanquam repugnans invenitur, per ideam rationis unice possibilem annihilatur, sed ex hac annihilatione eodem temporis puncto Universum prorsus novum omni ex parte harmonicum, cujus conspectu mens solummodo aquiescere potest, oritur. Universum repugnans, qua tale, nihil est.

Philosophia reflexionis critica hoc quidem nihilum cognoscit, sed delere non potest. Hinc cognitio, quam de Universo praestat, semper *negativa* manet. Sed Philosophia sic proprie dicta hoc nihilum non solum cognoscit, sed etiam delet. Nihilum annihilare, nil aliud est, nisi veram realitatem ad lucem protrahere. Profanus in aliqua arte, exempli gratia, in arte musices, qui opus aliquod disharmonice compositum audit, cognoscit quidem sensu pulchri ductus, et ipso facto,

quod ita compositum esse *non* debeat, quin tamen sciat, quomodo id esse oporteat; sed musicus, hujus artis ex principiis peritus, et quasi quadam vi creatrice praeditus, eo ipso, quod dissonantiam percipit, et empirice cognoscit, simul rationem illius perspectam habet, et hac cognitione instructus, eodem tempore pro se positivam producit harmoniam. Hic cognoscendi actus non consistit in *mera reflexione*, sed in *ideali quadam creatione*: quod enim reflexione percipitur, est ipsa disharmonia; ut ergo ex illa producat^r harmonia, absoluta mentis vis, quae ad vim creandi accedit, necessaria est.

Kantius per *antimonias rationis*, quas proposuit, Universum reflexioni exhibitum in tota sua dissonantia repraesentavit; et hac quidem ratione optime de Philosophia est meritus, cum excitaret insignia ingenia ad veram harmoniam inveniendam. Cum autem assereret, clavim ad perfectam solutionem hujus dissonantiae *theoretice* nullo modo inveniri posse, eam fecit absolutam: quod enim *theoretice* sibi contradicit, etiam *practice* sibi contradicat necesse est, nisi rationem in functione sua theoretica et practica ad absolutam repugnantiam secum ipsa reducere velimus. Quam primum ergo id, quod asseruit Kantius, admittimus, disharmonia nulla ratione solvi potest. Si autem ita res se habet, facultati cognoscendi nil aliud reliquum est, nisi nihilum absolutum, id est, contradictio. Hoc est praecipuum vitium, quo laborat critica Kantii; nam etiamsi in ea, quam tenet, statione mentis positivam absoluti cognitionem necdum habet, nec habere potest,

tamen absolutam ejus possibilitatem negare non deberet.

§ 12.

Cognitis ergo omnibus, quae in regione reflexionis cogitari possunt, errorum viis, et perspecta essentiali ejus caractere, qui in absoluta duplicitate consistit, nil aliud locum habere potest, nisi negativa solummodo cognitio ejus, quod in se reale et verum est. Ita Universum nullo modo esse potest, uti se reflexioni juxta omnes formas intellectus conspicuum reddit, quisque hac cognitione instructus sibi^met ipsi loquitur. Sed haec cognitio negativa maximi est momenti, et ad philosophandum absolute necessaria; nam cum cognitione negativa simul data est necessitas absoluta cognitionis positivae, cui satisfieri et potest et debet.

Homo, qui semel ad cognitionem distinctam repugnantiae, qua Universum juxta omnes formas intellectus reflexioni exhibetur, pervenit, prius aquiescere non potest, nisi dum per absolutam mentis productivitatem ideam invenerit, qua novum prorsus, et omni ex parte consonum, Universum, oritur. Huic tantum Universo *absolute ideali*, *absolutam realitatem* adscribere potest. Palam est, ad constructionem Universi penitus harmonicam actum cogitandi absolutum, qui a reflexione, tanquam actu magis passivo, magnopere differt, requiri, quique ita comparatus esse debet, ut cum ipsa realitate absoluta tanquam prorsus harmonicus evidentissime cognoscatur. Tale Universum est regnum

coelorum, quod homo toto mentis impetu quaerit, quodque *extrinsecus non venit*.

Juxta formas reflexionis credimus Universum absolute harmonicum, tanquam aliquid externum: hinc sensus ardentissimi desiderii, quo fit, ut conspectu communis realitatis, id est, Universi sibimet ipsi repugnantis, nullo modo contenti esse possimus, ideoque magis in *spe*, quam in *re* vivamus. Solius est Philosophiae, proprie sic dictae, efficere, ut id, quod tantummodo juxta intellectum credimus, in absolutam cognitionem, ut desiderium in ipsam boni possessionem, ut denique externum in absolute internum transeat. Ope Philosophiae repugnantia absolute deletur, ideoque et ipsum Universum reflexioni exhibitum, quatenus ipsa est repugnantia objective considerata. Sed Universum tantummodo repugnans est, quatenus per intellectum discursivum, qui penitus a reflexione pendet, determinatur. Per intellectum autem *intuitivum* et ratione nixum, ad absolutam reducit harmoniam. Solus intellectus *intuitivus* est simul *rationalis*.

§. 13.

Discrimen inter cognitionem *negativam* et *positivam* veritatis maximi est momenti, eoque majorem meretur attentionem, cum nostra aetate plerumque negligatur. Saltem tota schola Kantiana naturam Philosophiae in cognitione mere negativa ejus, quod in se sit reale et verum, ponit. Haec Philosophia nil aliud est, nisi examen criticum earum cogitandi formarum, quae in sphaera reflexionis locum habent. Ope tenta-

minis sola reflexione nixi cognoscitur, per illas cogitandi formas id, quod in se reale et verum sit, exprimi non posse. Ex ejusmodi, mere negativa absoluti cognitione, quatenus cognitio positiva, tanquam absolute impossibilis habetur, nihil aliud, si rectae consequentiae leges observentur, prodire potest, nisi tristic et perniciosus Scepticismus, qui omnibus existentiae sphaeris tanquam spissa nox incumbit.

Omni caret dubio, hac philosophandi ratione omnem genuinum scientiae spiritum eliminari. Philosophia tam parum in sola cognitione absolutae ignorantiae omnium eorum, quae Universum constituunt, consistere potest, ut potius haec assertio pestis et mors sit omnis Philosophiae.

Homo nequaquam ad id destinatus est, ut demum post longos erroris anfractus cognoscat, se nil cognoscere posse; sed ut cum evidentia, quid in se verum et reale sit, perspiciat. Illam assertionem absolutae ignorantiae, cui homo subjectus sit, quisque potius toto animo debet perhorrescere.

§. 14.

„Sed, inquit Kantiani, licet, quod in se verum, et reale sit, cognoscere non possimus, tamen nobis inest facultas, phaenomena tanquam realitates unice „possibiles cognoscendi.“

Sed haec assertio est absurda. Ea enim tantum conditione phaenomena tanquam aliquid reale cognoscere possumus, si ipsius absoluti naturam positive cognoscamus. Nam quodlibet phaenomenon, quod co-

gitari potest, in forma oppositionis se repraesentat. Quodlibet phaenomenon, particulare, et singulare est tantummodo determinata quaedam synthesis objectivitatis, et subjectivitatis. Oppositiones particulares, quae hic in lucem prodeunt, tanquam peculiare modificationes syntheseos generatim sumptae invicem se habent, uti determinata quaedam objectivitas ad determinatam subjectivitatem, et vice versa. Sine cogitatione vinculi mutui, quo aequaliter cohaereant, oppositiones necessario absolutae esse videntur, ideoque se invicem tollunt. Jam si asseritur, oppositiones postremas, et maxime universales, scilicet subjectivitatem et objectivitatem generatim componi non posse, fieri quoque nullo modo potest, ut, quae in peculiaribus existentiae sphaeris conspiciuntur, oppositiones componantur. Sine termino medio autem oppositiones originariae absolute sibi contradicunt, ergo et oppositiones derivatae, tanquam phaenomena peculiariter determinata. Quod autem sibi contradicit, nil est. Itaque Phaenomena peculiariter eodem modo nil sunt, quam data in reflexione synthesis objectivitatis et subjectivitatis generatim sumptae. Vera cognitio rei qualiscunque tum demum nobis oritur, quando nobis cognitus est terminus medius, quo certae oppositiones conjunctae sint. Sed quidquid existit, in forma oppositionum apparet. Jam vero perspicuum est, nullam cognitionem quoad phaenomena particularia cogitari posse, nisi oppositiones, quae in conceptu entis in genere locum habent, possint componi.

Cognitio, qua ratione oppositiones originariae ad harmoniam revocandae sint, praestat cognitionem positivam absoluti. Si autem haec locum habere non possit, quo demum jure asseri potest, cognitionem phaenomenorum, in sphaeris existentiae particularibus et singularibus possibilem esse? — Itaque aut asserendum est, nullam prorsus cognitionem esse possibilem, omnemque nostram de cognitionibus persuasionem, sive sit sermo de phaenomenis, sive de absoluto, in se nil aliud esse, nisi absolutam ignorantiam; aut possibilitas et realitas cognitionis positivae ejus, quod in se verum sit, concedenda est, quia alioquin nec cognitio phaenomenorum cogitari potest. Philosophia ergo non est mere negativa cognitio absoluti, cum qua positiva cognitio phaenomenorum consistere possit, cum per assertionem, solam cognitionem negativam absoluti esse possibilem, necessario quoque positiva cognitio phaenomenorum concidit. Hoc si admittatur, quodlibet objectum tantummodo negative, id est, tanquam id, quod realiter non est, nec esse potest, determinari potest. Hoc enim in casu per reflexionem nil aliud conspiciamus, nisi oppositiones sine termino medio, id est, id tantum, quod sibi repugnat, ideoque esse nequit.

Mens humana necessario inter oppositiones fluctuat, quin unquam scire possit, quodnam ex oppositis tanquam phantasma, aut formam fallacem habere, aut cui realitatem adscribere debeat. Nam absolute opposita, quatenus nullo termino medio conjuncta sunt, ad-

mitti simul non possunt, quin ipsum phaenomenon, quod ipsa experientia existere testatur, tollatur.

Quis vero ejusmodi incertam mentis inter opposita fluctuationem veri nominis cognitionem appellare potest? —



THESES PHILOSOLHICAE.

1. Logica est theoria intellectus.
2. Methaphysica est theoria rationis.
3. Duplex datur cogitandi ratio.
4. Deductio categoriarum Kantiana est vitiosa.
5. Ratio theoretica et practica in se una eademque est.
6. Realitas divini Numinis non solum postulatur per rationem practicam, sed et per rationem theoreticam evidenter demonstrari potest.
7. Certa est libertas mentis humanae.
8. Certa est quoque immortalitas animorum.

THESES PHYLOGOLOGICAE.

1. Architecturam et artem hortulani ad artium liberarum, sive pulchrarum numerum referendas esse, nego.

2. Graecis non solum in artibus plasticis generatim, sed etiam vi, ac virtute aesthetica hucusque nullam gentem aequalem et parem inventam fuisse, certum est.

THESES EX JURE NATURAE.

1. Finis summus societatis civilis est harmonia juris et potentiae.
2. Organisatio civitatis nititur tribus pactis fundamentalibus, nempe pacto de proprietate, pacto defensionis et unionis, et pacto subjectionis.

CURRICULUM VITAE

GUSTAVI ADOLPHI HESS DE CALVE.

Cum in plerisque literarum Universitatibus extraneis inter alia saluberrime constitutum sit, ut, qui gradum ac dignitatem Doctoris in quacunque facultate petunt, brevem exhibeant vitae suae delineationem, dissertationi inaugurali inserendam, ac simul cum dissertatione publici juris faciendam, qua quisque, cui talis dignitas conferatur, perspicere possit: ego, qui in facultate Ethico-Politica Universitatis literariae, quae Charkoviae floret, hunc obtinere gradum desideravi, eam consuetudinem eo magis observandam esse existimavi, quo majora sunt emolumenta ac ornamenta politica, quae quis in Imperio Rossico, munificentia Sapientissimi ac ad excitanda ingenia, omnemque animi culturam promovendam, optime animati Imperatoris *Alexandri* primi, consequi solet. —

Natus sum Pestini in Hungaria anno 1784. 19na Martii ex parentibus catholicae religioni addictis.

Pater meus adhuc vivus est Gustavus Adolphus Hess de Calve consiliarius intimus Suae Caesareae Altitudinis Ferdinandi, Magni ducis Würzburgensis, ac Archiducis Austriae, bonorumque ipsius in Regno Bohemiae sitorum summus Administrator. Mater mea, pariter adhuc superstes, Josepha Enslen Rastadtiensis. Quartum nummeravi annum, cum pater meus characterе consilarii regiminis insignitus ex Hungaria, Pragam — vocatus est, ut ibidem eorundem bonorum, quae tunc temporis ad Ducem Bipontinum, nunc Regem Bavariae pertinebant, sed per pacem Lünevillensem ad Archiducem Austriae et eo tempore Electorem Salisburgensem Ferdinandum translata sunt, administrationem susciperet.

De quinto ad septimum annum scholas inferioris ordinis, in Bohemia normales dictas, in Conventu Praemonstratensium frequentavi, finitisque elementis linguae Germanicae, aliarumque rerum, quae in classe praeparativa tradi solent, quinque annos literis latinis in Gymnasio Micro-Gragensi, Rectore Clarissimo viro *Lorentio* operam navavi. Omnes cursus Gymnasii usque ad Rhetoricam et Poesin cum nota eminentiae absolvi, et in ultimo cursu primo praemio donatus sum. Hujus rei veritatem attestari potest Professor *Poeseos Caroli*; idem confirmant monumenta publica, scilicet catalogi studiosorum de quolibet gymnasio Imperii Austriaci impressi.

Anno 1798 primum Philosophiae cursum Decano Clarissimo viro *Ungar* inchoavi, ubi celeberrimis usus sum Professoribus, et quidem in Logica D. P. *Voigt*, in Mathesi D. P. *Widra*, in Historia naturali D. P. *Mican*, in historia universali D. P. *Poklet* et in Philologia D. P. *Meisner*.

Anno 1799 primum Physicae theoreticae cursum duce Clarissimo Professore *Schmidt* cum optimis testimoniis absolvi.

Eodem anno inter nobiles militiae alumnos (vulgo Kadettos) receptus in legione pedestri ad Archiducem Austriae Carolum, Imperatoris fratrem pertinenti stipendia meritus sum, et bello contra Gallos exorto praeliorum splendidissimorum Stokachii, Osterach et Zürichii commisorum particeps fui. Praeterea infelicissimis quoque pro Germania praeliis interfui, nempe Ulmensi, et Hohenlindensi. Eodem tempore natio Bohemica exercitum sub nomine Legionis Bohemicae Archiducis Caroli, et Universitas cohortem ex 800 studiosis erexit, ad quam a primo tunc temporis belliduce Principe et Archiduce Carolo Budvitium qua signifer missus sum. — Pace Lünevilensi constituta exercitus Bohemicus recens erectus dissolutus est, ita, ut quisque miles tranquilla posset domicilia repetere. Hinc de anno 1801. usque ad annum 1803 rursus Universitatem frequentavi, ubi Methaphysicam, Ethicam, Mathesin ap-

plicatam, et primum Juris cursum, nempe jus naturae, jus criminale, et historiam Germaniae absolvi.

Cum avunculus meus *Ludovicus Hess de Calve* tunc temporis tribunus (vulgo Colonellus), nunc generalis Austriacus ab Imperatore ad rempublicam Venetam recens acquisitam mitteretur, ego Italiam videndi desiderio flagrans, eum comitatus sum. Ne autem tempus inutiliter ibi consumerem, Universitatem Patavii florentem accessi, ac facultati medicae adscriptus per sex menses varias lectiones de rebus medicis, nempe de Osteologia, Anatomia, Chemia, Botanica etc. audiui, id quod atteslari possunt celeberrimi Professores ibidem constituti, *Zograffi*, *Galdani*, *Comparetti*, *Cesarotti*, et alii.

Postea totam fere perlustravi Italiam, ut, quae in uribus ibi celeberrimis visu dignissima essent, propriis oculis subjicerem, et aeterna illa, quae ars antiquior et recentior creatrice quadam ac divina vi instructa in lucem edidit, monumenta contemplerer, mentemque studio pulchri, vivis imaginibus expressi excolerem. Praecipue vero Romam, Florentiam, Neapolim, Mantuam, Milanum me contuli, ibique tamdiu moratus sum, dum nihil memoratu dignum me effugeret.

Sed bello 1805 demum contra Gallos concitato, pro patriae salute mihi dimicandum ratus, vexilla militaria repetii, ac qua locum tenens (Lieutenant) in cohorte equestri (Palatinal Husaren) infelici praelio, quod Austerlitzii commissum est, interfui. — Pace Presburgi restituta Hungariam petii, ubi duos annos apud Execell. Comitem Secheiniy, Ministrum, et comitem supremum Schomogyensis et Sigligetiensis comitatus tam honorifica conditione vixi, ut mihi suos filios instituendos et ad studia superiora in Universitate tractanda praeparandos committeret,

Duobus annis finitis, per totam Hungariam, Moraviam, Saxoniam et Poloniam profectus, quid in arte musica valeant humeri, ostendi. Hujus artis publica specimina praecipue de-

1920
di Pestini, praesentibus Archiducibus Iosepho Palatino Regni Hungariae, et Ferdinando eo tempore Electore Salisburgae, praeterea Erlaviae, Kaschoviae, Bartfeldiis, Leopoli, Krakoviae, Lublinis, Warssoviae, etc.

Belli flamma denuo anno 1809 inter Austriam et Galliam suscitata, ad militiam cum characterе officialis locum tenentis in cohorte equestri (Palatinal Husaren) rediens, et praeliorum prope Ratisbonam, et Aspern particeps, vulnere non indecoro affectus sum.

Cum eo tempore exercitus Rossicus Poloniam Austriacam duce Principe de Galitzin intrasset, quaedam cohortes equestres illuc missae sunt ab Archiduce Carolo, inter quas et illa cohors erat, in qua ego stipendia merebar. Hac occasione interfui praelio Sentomirensi in nova Gallicia.

Denique pace Vindobonae facta, relinquens militiam Austriacam et Crakoviae benevolentiam *Generalis Principis Suworov*, nimis mature patriae errepti, nactus, cum illo in Rossiam veni. Illo autem in Moldaviam profecto in cohortem equesterem, cujus dux est Generalis Comes Sievers, translatus usque ad annum 1810 stipendia meritis sum, et cum optimis testimoniis dimissus. Diligentiae meae militaris, uti militaris subordinationis testes sunt Generales inclyti: Articzeff, Udam, Berg, Koschniczoff, Slotniczki, deinde colonelli Stakelberg, Krentz, Roosen, Bachmetioff, Bittenbrock, Buxhöwden, Iwanov et alii. — Denique initis 1812 nuptiis cum nobili virgine Seraphina Mecznikoff habitationem meam in Gubernio Chersonensi figendam, vitamque meam utilitati Imperii Rossici, tanquam novae meae patriae, consecrandam statui.

Cum autem per tres fere annos saepe Charkoviae moratus sim, non temere me facturum existimo, si omnes eos, qui me accuratius norunt, tanquam testes integritatis vitae meae, morumque, ac si ausim dicere, culturae intellectualis provocem.

Charkoviae 13mo Junii 1812.

